

DE
INSPECTIONE
ET
SECTIONE LEGALI
FUNERIS INFANTILIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

AUCTORE

ANDREA KORNTHEUER,

MEDICINAE, CHIRURGIAE ARTISQUE OBSTETRICIAE

DOCTORE

STAFFELSTEINENSI BAVARO.

MONACHII.

TYPIS J. ROSSL.

1836.

PRÆNOBILI CELEBERRIMO

DOMINO DOMINO

GM. FLIERL,

**MEDICINAE, CHIRURGIAE ARTISQUE
OBSTETRICIAE DOCTORI**

HOC LIBELLUM

AMICITIAE MONUMENTUM

SACRUM ESSE VULT

AUCTOR.

De inspectione et sectione legali funeris infantilis.

Non levis momenti negotium, sed rem arduam et multis difficultatibus implicatam suscipit, qui funus infantis violenta morte perempti, legaliter inspiciere, secare, et depositionem forensam cum iudicio medico positivo circa veram et immediatam mortis causam iudici tradere cogitat. Itaque erit operae pretium, ut sub inspectione, dein sectione legali observanda et accurate examinanda exponam.

E. Inspectio legalis.

Ubi adest vel minima suspicio, infantem violenta morte extinctum fuisse, inspectio et sectio legalis est instituenda. Ad legalitatem hujus actus requiritur, ut omnibus lege praescriptis satisfaciatur, quae poscit: fiat inspectio et sectio legalis:

- 1) Ex jussu seu rogatu judicis legitimi,
- 2) A medicis approbatis juratis, a chirurgo qui secat cadaver et physico, hoc autem absente ab alio medico jurato,
- 3) Die et loco jam ante definito.
- 4) In plurimis casibus, et in specie apud inspectionem et sectionem funeris praesentia unius vel plurium judicum a lege postulatur.
- 5) Medici est, judici omnia, quae sensibus intelligi possunt, ostendere, et res magni momenti explicare.
- 6) A persona judiciali perscribitur protocol- lum, in quod situs, habitus, vestimenta et alia a medico visa reperta inspectio- nis et sectionis funeris dictantur.

Legitime jussis observatis, medicus foren- sis, incipit inspectionem legalem, et ad sequen- tia attendat:

- a) consideret cadaver ipsum, an sit recens, incorruptum, nulla putrida tabe infectum, an potius consummata putredine inquinatum,

quod signant foetor cadaverosus, as- pectus turpis habitus corporis externi, laxi- tas corpusculi, culiculae secessus, constitu- tio singularis capitis, extravasationes san- guinis putridi, dissoluti in varia corporis cava, ossa calvariae alba, nuda, mollia vix inter se cohaerentia, quaeque versum mo- bilia, vacillantia, fluctuantia, levissimo nexu membranaceo vel nullo inter se unita.

- b) Sexus est annotandus, et an maturus et perfectus sit habendus foetus, an imma- turus imperfectus. Quae indicant: forma- tio omnium organorum secundum longi- tudinem et latitudinem; tenerrimi corpus- culi cutis rubra transparens; oculi clausi, aurium meatus clausi; unguiculi rubentes, teneri; capilli deficientes; ossicula capitis fonticulo majore dehiscentia; artus tene- riusculi, graciles, exiles.
- c) Tota superficies corporis a capite ad cal- cem, tam anterior, quam lateralis et pos- terior oculis attentis est perlustranda, et corpusculum forte sanguine, moeconio vel cloaca conspumatum spongia aqua calida madida est mundandum. Deinde omni attentione ab una corpusculi parte ad al- teram transeundum et videndum est, an non sugillationes et ecchymoses, (quae

autem non confundamus cum sanguine illo tenui, dissoluto, flavescente et gelatinoso, qui a putredine suum ortum habet,) aut pustulae gangraenosae in superficie cadaveris suspicuae sint. Videndum porro, an nullae puncturae, vel ictus in fontanelis, temporibus, vel aliis etiam capitis locis, aut in nucha, aut luxationes, praepriis circa primas colli vertebrae appareant; item an non fontanella subsidens, collapsa, an vero cum violentae laesionis signis depressa reperiatur.

- d) Consideranda est facies, an sit pallida, collapsa, an vero sanguine turgida, livida, cum lingua turgida livida inter labia prominula, et oculis prominentibus.
- e) Examinanda sunt cava oris, narium, an non in iis copiosus mucus, aut liquor serosus mucosus spumescens et copiosis bullis aëris et sanguine mixtus reperiatur item an non variis rebus heterogenis, ut terra paleis, cineribus infarcta sint.
- f) Considerandus est thorax, an extensus sit, an non.
- g) Nec minus abdomen, an sit collapsum, extensum, aëre impletum.

h) Inquirendum est in funiculum umbilicalem, an cum placenta adhuc adhaereat, vel ab ea abruptus aut praecisus sit, et an proxime, an vero in magna distantia ab orbiculo umbilicali, quae distantia accurate mensurari et determinari debet; deinde annotandum est, an hic funiculus legitime deligatus sit, vel non; et denique quem colorem et habitum ostendat: an sit macilentus, exsuccus, aridus, facile lacerabilis, corrugatus, putredine correptus, veluti colliquescens et liquore gelatinoso plenus.

- i) Examinanda est placenta uterina, an cum funiculo umbilicali cohaereat, vel ab eo abrupta aut praecisa sit; an sit exsicca, collapsa, flaccida, corrupta et jam putrida, an sit nempe coloris atri, mollis, macerata vel dissoluta, loco sanguinis mucum flavum continens; an vero ejus vasa sanguine impleta sint, et turgescant. His omnibus cautelis sub iuspectione legali observandis observatis transitur ad ea, quae sub sectione legali sunt respicienda.

II. Sectio legalis.

Ipsae sectionis actus, qui semper cum summa prudentia instituendus, et calida tem-

pestate non multum est procrastinandus, sed mox instituendus, praecipue, si phaenomenis sub legali inspectione in cadavere infantili apparentibus fundata detur suspicio, infantem hunc violenta periisse morte. In quo casu semper tria corporis cava sunt aperienda. Initium faciendum est a cavo capitis, deinde transeundum ad cavum pectoris, et demum ultimo ad cavum abdominis.

A.

Cavitate capitis aperta, quae in infantibus prope fontanellam membranaceam et teneram faciliter fieri potest, est videndum, an non cruor extravasatus sub dura aut pia matre, vel in anfractibus cerebri, aut in fundo calvariae reperiatur; an venae cerebri aut sinus venosi sanguine nimis infarcti et tumidi, vel ultra modum depleti appareant; an in ventriculis cerebri sanguis aut serum reperiatur; item an cerebrum subsidens et in veram putrilaginem conversum sit, an vero sanum et incorruptum.

Quibus omnibus sub debita cautela factis ad reliquas duas cavitates, pectoris et abdominis est transeundum.

B.

Cavo pectoris dissecto sunt examinandi

- a) pulmones; qualis sit eorum densitas, utrum reperiantur spongiosi, totum cavum pectoris explentes, praeprimis partem anteriorem thoracis, et cor suo modo obtegentes; an densi et compacti, sibi aequales, brevissimi in thorace posteriore profunde latent, et quasi corde tecti sint.
- b) Deinde examinatur color pulmonum, utrum pallidus, cinereus, subalbus; an color carnis rubellae lividus, fuscus, inveniatur. Nec minus,
- c) habitus eorum, an non corrupti et putridi sint. Hoc momentum est magni pretii quia tales pulmones a sua putredine facultatem natandi acquirunt, et docimasiam hydrostaticam ad nil redigunt.
- d) Pondus et infantis et pulmonum accurate est constituendum, nam docimasiam a Ploucquet proposita dicit: respiratione neonatorum non modo aër pervenit in pulmones, sed etiam eodem tempore sanguis in vasa pulmonalia influit, et pondus pulmonum absolutum, ideoque relativum ad funus infantis auget; in qua proportione a pondere nempe pulmonum ad pondus fetus fundat docimasiam. Daniel cum Ploucquet pondus respiciens,

respiratione perfecta non modo relativi, sed etiam absoluti pulmonum ponderis auctorem, unicas duas efficientem, respiciendam proposuit, et quia pondus etiam specificum ob volumen pulmonum auctum mutatur, proprium invenit apparatus, quo est constituendum.

Instituenda est docimasia pulmonum hydrostatica, quae ex levitate pulmonum, qua natant in aqua, exceptis excipiendis casibus argumentatur, respirasse, ergo vixisse fetum. Ad exponendum modum, quem medicus legalis in sectione legali funeris fetus observare debet, verba Joan. Ern. Hebenstreit in sua anthropologia forensi adduco:

Quando secantes thoracem fetus aperiunt, ut experimentum illud, quo quaestio de vita fetus ante vel post nativatem acta decidenda est, instituatur, nihil omittant eorum, quae fieri oportet, ut omni suspitione tentamen destituatur.

Pulmones cum corde inter illos medio a vasis majoribus, quibus cor adnexum est, vena cava atque aorta, hinc a mediastino postico, cui capsula membranacea cor

amplectens, seu pericandium annectitur, separent... Deinde cor a pulmonibus separent, ne cordis pondus pulmones secum in fundum vasis dejiciat, quod fieri posset, si ventriculi ejus, maxime dexter sanguine repleti sunt, atque auricula cordis dextra sanguine venoso tumet, veluti est in suffocatis. Si videant pulmones fundum vasis petere, examinant, an non unus lobus prae altero plus emineat, posset enim debilis fuisse respiratio, quae nihilo minus vitam fetus post nativatem ejus actam indicaret. Id quod clarius intelligatur, dissecandi in segmenta minuta pulmones erunt, quae si omnia fundum petunt, fetus haud respirasse, licet forte vixerit, significant... Si pulmones valde rubent, quod a sanguine inter illos collecto oritur, simulque fundum petunt, exprimens ex particulis dissectis sanguis est; cum ille referente Theophilo Bonneto in sepulchreto anatomico T. I. L. II. Sect. I. pondere suo pulmones deprimere soleat... Aquam, in qua experimentum instituitur, oportet esse limbidissimam; sunt, qui tepidam volunt, ne scilicet, si turpida aqua est, spissitudini illius tribuatur, quod pulmones ad superficiem elati fuerint. Similiter vas debet esse satis profundum ut si pulmones merguntur, alte mersi dici

possint, utque, si natent, fundum haud attigisse perhibeantur.

- e) Trachea, est a bronchiis secunda et examinanda, an non scateat aqua, mucosum vel humore spumoso, an non sit compressa.
- f) Cava cordis, et reliqua vasa majora cordi adnexa sunt inquirenda, utrum sanguine sint plena, an depleta; qualis color et consistentia in sanguine appareat; videlicet an sanguis ruber, spissus et nigricans, an tenuis, dissolutus, putridus sit.

C.

Aperto postmodum cavo abdominis et reliqua viscera in hoc cavo contenta inquirenda sunt. Praecipue autem

- 1) Examinanda sunt vasa majora systematis venae portarum, an sanguine exanita sint, an eodem turgeant;
- 2) Intestina praeprimis crassa, et videndum an moeonium in iis contineatur, an eodem depleta sint; an sint ex atro viridia, mucosum pingui, aut maculis decoloratis tecta;

- 3) Vesica urinaria, an urina in ea reperitur, an eadem vacua sit.

Si inquisitio continuata casum explicare promittat, medici est, tribus cavis, capitis, pectoris et abdominis, appertis etiam collum, columnam vertebralem, scrotum, genitalia feminea, anum, et summatim quamcunque partem, quae causam mortis clarescere possit, inquirere.

Finita obductione protocollum in contextu est praelegendum, deinde a iudicibus et medicis subsignitur. Apographum protocollum medico communicatur, ut protocollum et Parere, postea a medico factum congruant, in quo nil novi, in protocollo non descripti, inveni debet, et quo actus processum et visa reperta physicus iudici refert. Cui adjungitur arbitrium, in quo argumentis in anatomicis et physiologicis fundatis omnia, quae ad declarandum et dijudicandum juris casum ex obductione resultant, paucis et clavis verbis referuntur, et quaesta a lege proposita respondentur nempe:

- 1) An sit fetus praecox, maturus, an immaturus ideoque vitalis, an non vitalis.
- 2) An vivus an mortuus natus sit.

- 3) Si vivus, an fato mortuus, an praemeditatione et vi quadam; an ex ommissione remediorum ad servandam fetus vitam requisitorum mors infantis sit secutus e. g. si mater ommittat deligationem funiculi umbilicalis.
- 4) An laesiones et vitia manifesta ex vi quadam adhibita, an ex injuriis gravidae matri illatis, partu naturali laborioso, posito parturientis, aut ex vitio formativo sint declaranda.

Parere et arbitrium ei adnexum a medico componuntur, ab eo et a chirurgo, si consensit, subscribuntur; econtra argumenta, cur hic dissensit, sunt adscribenda et judici tradenda.
